

ADATOK AZ EGRI VÁR 1710. ÉVI FELADÁSÁHOZ

Dr. SZÁNTÓ IMRE

I.

De Viard császári tiszt 1710 május 18-án Rozsnyóról kelt levele Telekesy István egri püspökhöz, amelyben megírja, hogy Telekesynek Keresztély Ágost esztergomi érsek-primáshoz szóló levelét elküldte és mind az egri püspököknek, mind a káptalannak és az egész klérusnak ebben az ügyben előtte ismert ártatlanságát az érsek-primásnak előadta és figyelmébe ajánlotta.

(Egri érs. lt. Acta intraneorum, rakt. sz. 157. Nr. 944. Acta Tempore Installationis D. Exc. Emerici Csáky Archi-Episcopi Colocensis in Episcopatum Agriensem vivente adhuc D. Steph. Telekesy. Nr. 2.) .

Rosnaviae die 18-va May 1710.

Illustrissime ac Reverendissime Domine mihi plurimum honorande.

Litteras 26-ta elapsi mihi sonantes eo quo par est honore percepi, inclusasque Eminentissimo Domino Cardinali certa modalitate expedivi, nec intermisi Illustrissimi ac Reverendissimi Episcopi sicuti et Reverendi Capituli totiusque Cleri hac ex parte mihi notam innocentiam proponere et eo quo meliori fieri potuit modo recommendare, optando non solum huic petitui omnimode satisfacere, sed etiam in aliis ad manus mihi praebitis occasionibus ad nutum existere et demonstrare posse, quod penes recommendationem meorum Servitiorum perlubens existam.

Illustrissimi ac Reverendissimi Domini mihi plurimum honorandi.

Servus paratissimus
De Viard.

II.

Gróf Wallis Ferenc császári ezredes egri várparancsnoknak 1711 január 2-án kelt bizonyáglevelé Telekesy István püspököknek öfelsége iránt tanúsított különös és példás jóindulatáról, midőn a „rebellis” katonaságot — a várvédő kurucságot — hathatósan arra buzdította, hogy Eger várát a császáriaknak minél gyorsabban adja át.

(Egri érs. lt. Acta intraneorum, rakt. sz. 157. Nr. 944. Acta Tempore Installationis D. Exc. Emerici Csáky Archi—Episcopi Colocensis in Episcopatum Agriensem vivente adhuc D. Steph. Telekesy. Nr. 18., latinul és németül).

Siquidem Representator harum Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Episcopus Agriensis Stephanus Telekesy in Anno 1710. quo nimirum suae Sacratissimae Majestatis Regimina in Excubiis ad Szécsén et Losoncz extitissent, per Reverendum Patrem Georgium Foglár Plebanum Pásztoiensem, non minus quam etiam proprium suum Capellanum adhuc ante Posoniensem Proscriptionem, et perceptum Breve Pontificium suam erga Majestetem Caesareo—Regiam submississimam declaraveritdevotionem, et ut personaliter eo tum compareret ob pertinacem Rebellionem Invigilantiam se omnimodo impeditum demonstraverit. Posteaquam vero Caesareae Copiae Comitatus Heves, et Praesidio Agriensi appropinquarent, praememoratus Dominus Episcopus suo Residentiali Castro relicto Szarvaskő, non tantum Excellentissimo Generali Cusany in Castris suae Majestatis se citissime stiterit, sed etiam mihi Praesidiario Commendanti, totique Militiae Caesareae de subsistentia quam laboriosissime providerit, hostilem Commendantem et Garnizon per suas occulte transmissas Literas tam efficaciter exhortatus sit, ut considerando Hajdones qua subditi erga Illustrissimum et Reverendissimum Dominum suum debite exhibendam submissionem, se citius tradere, et Arcem Agriensem nobis cedere haud formidaverint. Quem specialem et exemplarem Illustrissimi ac Reverendissimi Domini praefati Episcopi erga suam Majestetem Sacratissimam demonstratum affectum, non solum manus propriae subscriptione et Sigilli usualis appensione contestor, sed modo omni meliori praesentibus recommendo. Datum Agriae die 2 Januarii 1711.

Sacratissimae Caesareae Majestatis Camerarius, Colonellus, Inclyti Haslingeniani Regiminis Ordinis Pedestris, uti et hactenus Agriensis Commendans.

L. S.

Franciscus Vallis.

III.

Gróf Croix császári tábornoknak 1711 január 30-án Kálón kelt bizonyáglevele Telekesy István egri püspöknek öfelsége iránt tanúsított hűségéről.

(Egri érs. lt. Acta intraneorum, rakt. sz. 157. Nr. 944. Acta Tempore Installationis D. Exc. Emerici Csáky Archi—Episcopi Colocensis in Episcopatum Agriensem vivente adhoc D. Steph Telekesy. Nr. 19.)

Ego infrascriptus attester et omnibus, quibus convenit notum facio, quod Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Stephanus Telekesi Episcopus Agriensis se adhuc 10-ma Novembris anni praeterlapsi 1709. per admodum Reverendum Dominum Stephanum Kövesti plebanum

Vargidiensem et denique sepius et adhuc ante proscriptione se insinua-
verit in gratiam Regiam et obsequia Caesareo Regia, quinimo suam pro-
priam residentiam Szarvaskő dictum, quam tunc incoluerat mihi, meis-
que se praeterea ad omnia, quae servitio Sacratissimae Caesareae Re-
giaeque Majestatis et Communi publici regnique Bono prospicua esse,
judicavero, promptissime obtulit, quae etiam Excellentissimo Domino
Generali Campi Marehallo (tit.) Comiti Siberto ab Heister, ut par erat,
significaveram, uti credo eademque adhuc in Cancellaria bellica fa-
cile reperienda, quod si vero minus haec relatio et in veritatis ac Ju-
stitiae nec non praefati Illustrissimi ac Reverendissimi Domini Episcopi
Testimonio propriae manus subscriptione ac sigilli appensione confir-
mare et extradare volui et debui. Sign. Kallo die 30 Januarii 1711.

Sacratissimae Caesareae Majestatis Generalis vigillarum Praefec-
tus et Incliti Sabandiani Regiminis Commendans
Josephus Comes Croix.

IV.

I. József császár 1711 március 6-án kelt kegyelmi diplomája (man-
datum regium), amelyben Telekesy István egri püspököt minden előbbi
méltóságába, javaiba és jogaiba visszahelyezi.

(Egri érs. lt. Acta intraneorum, rakt. sz. 157. Nr. 944. Acta Tempore
Installationis D. Exc. Emerici Csáky Arci—Episcopi Colocensis in
Episcopatum Agriensem vivente adhuc D. Steph. Telekesy. Nr. 23.)

Nos Josephus Dei Gratia electus Romanorum Imperator semper
Augustus, ac Germaniae, Hungariae, Bohemiae, Croatiae, Sclavoniaeque
etc. Rex; Archidux Austriae; Dux Burgundiae, Brabantiae, Styriae,
Carinthiae, Carniolae; Marchio Moraviae; Comes Habsburgi Tyrolis
et Goritiae ect. Memoriae commendamus tenore praesentium,
significantes quibus expedit universis. Quod posteaquam Nos ad detes-
tandos, in praefato Regno nostro Hungariae Authoribus Perduellibus
Francisco Rákóczy et Nicolao Bercsény perfide concitatos perni-
ciosos Tumultus, diversis mediis sopiendos et componendos, Genera-
lem tandem Universis Statibus et Ordinibus ejusdem Regni nostri Hunga-
riae Diaetam clementer indixissemus, ac eum in finem, ex speciali gratia et
clementia nostra, iteratam omnibus mature quidem respiscere volenti-
bus, et ad homagialem fidelitatem nobis debitam redeuntibus, Univer-
salem Amnestiam benigne obtulissemus, et suo modo, ac ordine publi-
cari quoque fecissemus; E converso vero, contumaces, ac intra praedefini-
tum, seu praefixum tempus non redeutes, ad, instantiam fidelium
nostrorum Dominorum Praelatorum, Baronum, Magnatum et Nobilium,
Regio Edicto nostro proscripti Criminisque laesae Majestatis Complices,
atque Rei, adeoque nota perpetuae Infidelitatis affecti Diaetaliter pro-
nunciati fuissent, et aggrati. Unde licet Stephanus Telekesy, alias
Episcopus Agriensis, vel ob id, quod ante praefixum praedeclarati
Proscriptionalis Edicti Diaetaliter praevio modo publicati Terminum,

non solum ad devotionem Majestati nostrae debitam non reversus fuerit; verum longo etiam exposit tempore in dictorum Perduellium Consortio perstiterit, praenotatam Proscriptionis poenam incurrisset, et Criminis laesae nostrae Majestatis Reum se effecisset; Quia nihilominus idem Stephanus Telekesy medio humillimi Memorialis sui, Majestati nostrae cum anni submissione transmissi, innocentiam suam remonstrare cupiens, se in Partibus illis, amore Ovium suarum, curae et fidei suae commissarum, ac tutandae amplissimae Diecoesis suae, remansisse, ac per septem Annorum, durantibus iisdem Tumultibus, decursum, tam intra, quam extra Diecoesim suam Episcopalia munia et functiones peregisse, quas secus, nisi bona fide et animo semet Rebellibus, sine tamen Armis, aut pravo aliquo Consilio accommodare coactus fuisset, peragere nequivisse; Nefandam etiam Detronisationem, quam adducta Michaelis olim Ország Palatini, de Sarca Regni Corona, et coronati Regis dignitate sententia, praevis disvadebat, crudeli tandem, et siccaria Comitatus Thurocziensis Ablegatorum spectata Laniena deterritum, se quidem subscripsisse, verum indignitate detestandu actus, statim compunctum, non amplius vel Rakoczium, vel eidem adhaerentes Perduellionis Antesignanos vidisse, et exposit omnia ipsorum Conventicula declinasse, assereret: Gloriosis demum Armis nostris appropinquantibus, apud Duces eorum, ac Generales nostros, mature semet insinuassee, et multifarias respectu suae devotionis ac fidelitatis, erga Majestatem nostram debitae declarationes fecisse, omnemque promptitudinem, sedulumque Conatum in promovendo servitio nostro, et procuranda Annona, aliisque requisitis adhibuisse, de constitutione Fortalitii Agriensis, et Statu Praesidii, genuinas Informationes submintistrasse, ac ad dedicationem etiam eiusdem Fortalitii cooperatum fuisse, fidedignas Attestatorias coram nobis in specie productas remonstrasset; Erroreque suo, in quem amore Ovium suarum praeter intentionem offensae Majestatis nostrae incursus, se praecipitatum fuisse asserit, agnito Caesareo-Regiam Gratiam et clementiam nostram implorasset, ac intuitu etiam decrepitae Senectutis suae, exandarumque in Cura Animarum, a quinquaginta Sacerdotii sui Annis laborum, omnem, quem ex praemissis Actibus incurrisset, vel incurrere potuisset, Reatum et poenam Proscriptionis, per Nos sibi clementissime remitti, tolli, et aboleri humillime supplicasset. Hinc Nos submississima paementionati Stephani Telekesy supplicatione clementer exaudita, pro Regia duntaxat benignitate, ac innata pietate, et clementia nostra, qua lapsis veniam et qualitercunque Delinquentibus Gratiam facere, Iurisque et justitiae rigorem lenitate misericordiae temperare consuevimus, accedente nonnullorum quoque, et gravium Virorum, humillima, eaque sollicita apud Majestatem nostram propterea facta instantia, et intercessione, specialem omnino et singularem mentionato Stephano Telekesy Gratiam nostram, et cum priorum Dignitatum, Beneficiorum, Bonorum, Possessionum ac honorum reidintegratione, et restitutione, Universalem Amnestiam ex Caesareo-Regia Clementia, et suprema Potestatis nostrae plenitudine dandam, impertiendam, et elargiendam, omnique eatenus reatu, et poena benigne abolitis, Eundem in prioribus Dignitatibus, Beneficiis, Honoribus, et

Bonorum possessione, ac usu relinquendum, et quatenus opus esset, reponendum, ac in Regiam etiam Protectionem, et Tutelam nostram assumendum esse duximus. Prouti damus, impertimur, abolemus, relinquimus, reponimus, et assumimus praesentium per vigorem. Ita tamen ut idem Stephanus Telekesy Episcopus Agriensis, memor praestiti homagii, et hujus singularis Gratiae et Clementiae nostrae a modo imposterum nullis Adversariis nostris adhaerere, aut factionibus, et conspirationibus quorumcunque, contra Authoritatem et dignitatem nostram, quietemque, et Tranquillitatem publicam attentandis palam, aut occulte, directe, vel indirecte opera, vel consilio adesse, et consentire praesumat; Alioquin praesentem Gratiam Eidem minime volumus suffragari. Quocirca Reverendissimo, et Serenissimo Domino Christiano Augusto Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali de Saxonia, qua Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis Archiepiscopo Primati Hungariae Legato Nato, Summo et Secretario, Cancellario, nec non Illustri Sacri Romani Imperii Principi Paulo Esterasy de Galantha, Perpetuo Comiti in Frakno, dicti Regni nostri Hungariae Palatino, Judici Cumanorum, Aurei Velleris Equiti, et per praefatum Regnum nostrum Hungariae Locumtenenti nostro Regio Cognatis nobis sincere dilectis: Spectabilibus item et Magnificis Comitibus Georgio Erdődy de Monyórókerék Judici Curiae nostrae Regiae, omnibus omnino intimis Consiliariis nostris; Praeterea Joanni Pálffy ab Erdőd, mentionatorum Regnorum nostrorum Dalmatiae, Croatiae, et Slavoniae Bano; Sigismundo Csáky de Keresztzeg Tavernicorum nostrum Regalium per Hungariam Magnifico; Non secus Camerae nostrae Hungaricae Praefecto, et Consiliariis: Magnifico demum Joanni Horvát Simoncsics, Personalis Praesentiae nostrae Regiae in Judiciis Locumtenenti, Consiliarisque, et respective Camerariis nostris, eorumque Vices-gerentibus et Magnificis Prothonotariis, ac Tabulae nostrae Regiae Judiciariae Jurassoribus, Causarumque nostrarum Regalium Directori et Sacrae praefati Regni nostri Hungariae Coronae Fiscali, cunctis denique Ecclesiasticis aequae ac Saecularibus Ordinariis, et Pedancis Judicibus, ac Justitiariis antelati Regni nostri Hungariae ubivis constitutis et existentibus, harum serie firmiter praecipientes comittimus et mandamus, quatenus saepefatum Stephanum Telekesy Episcopum Agriensem, in persona Dignitatibus, Beneficiis, Honoribus, rebusque et Bonis Ejusdem mobilibus, ac immobilibus quibus libet ratione praerecensiti Reatus, quem Idem praevio modo vel incurrisset, vel incurrere potuisset, contra formam praesentis particularis Gratiae, et specialis Abolitionis nostrae, ad cujusvis instantiam, nusquam, et nequaquam impedire, aut molestare velit, et praesumat, quin potius Eundem in hacce benigna Abolitionis Amnestiali Gratia nostra manutenere, conservare, et protegere debeatis et teneamini, Secus non facturi. Praesentibus perlectis exhibenti restitutus. Datum in Civitate nostra Vienna Austriae die sexta Mensis Martii Anno Domini Millesimo, septingentesimo undecimo, Regnorum nostrorum Romani vigesimo secundo; Hungariae, et reliquorum vigesimo quarto, Bohemiae vero Anno sexto.